



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

39. Enumerantur alij casus, in quibus Pontifex supplet jurisdictionem, ut
Sacerdos non approbatus audiat confessiones. Ex part. 8. tract. 1. res. 86.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

... ubi docet quod Cardinales ex sibi subditis, seu commensalibus, adhuc post Concilium Tridentinum possunt sibi, & suis familiis eligere quem maluerint Sacerdotem idoneum in confessionem, absque ulla pravia Diocesani approbatione. Hanc conclusio valde probabilis est, & mihi sane videtur satis rationi consona, & in eius favorem possunt adduci Caietan. in summa. verb. absolut. 2. num. 9. & Reginald. lib. 1. sua praxis penitent. cap. 5. sect. 1. num. 32. & alij, quos silentio praetermitto, quia nec ex allegatis, nec ex aliis inveniuntur, qui dictam nostram conclusionem post Concilium Tridentinum distincte defendat, neque etiam impugnet. Eam tamen non improbat vius ostendit, quoniam praxis Romanae curiae communiter recepta, Summo Pontifici vidente vel sciente, & non contradicente, satis sufficiens signum esse videtur eiusdem supremi Pastoris taciti saltem consensu, cuius adminiculo iussu saltem nonnullis abhinc annis introducta, & observata nonnullis comprobata conclusionem. Sed illam super his, robo; quia, si Episcopi licet ex sibi subditis eligere quem maluerint in Confessione, nulla alterius Diocesani requisita approbatione, quamvis extra propriam Diocesim inveniatur (ut omnes plerumque fatentur) & colligatur ex supradicta Cardinalium declaratione; ergo & Cardinalibus idem similiter licet ex suis commensalibus; utrorumque enim par ratio est. Probo consequentiam, quoniam commensales Cardinalium sunt eisdem subditi in spiritualibus, ut saepe diximus; & ferè omnes communiter asserunt. Hinc etiam sequitur, & posse eisdem commensales de Cardinalium licentia alicui ex ipsimet confiteri, absque ulla alterius Ordinarij pravia approbatione. Probo consequentiam, quia commensales Cardinalium sunt ipsi (ubiqueque commorentur) tanquam propriis ordinarij immediatè subiecti.

11. Sed quares, an si Cardinalis habeat commensalem Sacerdotem Regularem aliàs exemptum, possit eundem, tanquam sibi quodammodo subditum, eligere sibi in Confessorem, nec non ceteris suae familiae similiter deputare, absque alterius Ordinarij approbatione? Respondetur affirmatiue, quoniam licet (sicut Suarez tom. 4. disput. 28. sect. 6. num. 14.) Episcopus potest sibi in Confessorem eligere Sacerdotem Regularem suae Diocesis, utique ratione domicilij seu habitationis sibi aliquo modo subiectum: ita pariter poterit Cardinalis sibi, suaeque familiae in Confessarium eligere Sacerdotem Regularem, quamvis exemptum, si suae sit familiae licito modo adscriptus. Probat, quoniam utriusque par ratio videtur; siquidem non minus aliquis ratione huius commensalitatatis Cardinali quodammodo subiacet, quam alius subest Episcopo ratione domicilij, seu habitationis. Non est igitur de negandum, quod Episcopo conceditur, praesertim cum potior sit superioritas illius in suos commensales, quam illius in propriam familiam. Et haec omnia docet à Cruce loco citato.

RESOL. XXXIX.

Enumerantur alij casus, in quibus Pontifex supplet iurisdictionem, et Sacerdos non approbatus anctus confessiones. Ex part. 3. tract. 1. Resol. 86.

Q. Vltimus casus est de Sacerdotibus excipientibus Confessiones peccatorum venialium, vel mortalium, quae iam confessa fuerunt cum approbato: nam simplex Sacerdos potest

test illa absolvere ex iurisdictione delegata Summi Pontificis, quamvis hoc neget Ludovicus à Cruce in Bullam Cruc. disput. 1. cap. 2. dub. 7. numer. 13. ubi sic ait. Omnes igitur praecitati Auctores conveniunt, posse quemlibet Sacerdotem, etiam non approbatum, validè de peccatis venialibus absolvere, esto dissideant ipsi in explicanda ratione. Ego autem etiam tantorum Patrum auctoritas me quasi astringat i em sentire, ratione tamen ac iustitia cogor ab eorundem sententia discedere, & o. positam amplecti. Atque in primis, videtur mihi voluntariè dictum ex communi illa sententia, quod praecceptum confessionis annuae obliget solum ad mortalium confessionem inferri, quod valide possit simplex Sacerdos à peccatis venialibus absolvere; immo si attendamus Concilium Tridentinum, dum ait nullam esse abolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam seu delegatam non habet iurisdictionem, contrarium potius sentendum est; Concilium enim non distinguit de mortalibus, aut venialibus. Praeterea, cum absolutio sacramentalis sit actus iudicialis, ut utriusque Concilij Florentini, ac Tridentini decretis ostensum est supra: iudicium autem nequeat validè exerceri absque iurisdictione, consequenter nemo potest etiam à venialibus valide, & sacramentaliter absolvi à non habente iurisdictionem.

2. Nec obstat, si dicas, quicumque Sacerdoti licitum esse à venialibus absolvere ex concessione à Summis Pontificibus orta, & eorundem tacito consensu semper continuata, ut tenet Suarez num. 10. quia mihi non satisfacit, sed videtur potius voluntariè dictum: debuisset namque in medium proferre textum aliquem, vel auctoritatem saltem vnius, duorumve Doctorum gravium ex antiquis, qui dignè posset attestari, hanc iurisdictionem fuisse unquam ab Ecclesia simplici Sacerdotibus collatam. Fatetur autem Navarrus statim citandus se textum, auctoremve similem nullibi legisse, sicut nec ego legi. Immo Suarez licet asserat antiquos Doctores supponere huiusmodi consuetudinem, ipse tamen nullum talem in suae opinionis favorem adducit. Ac similiter, nec agnosco nunc esse in usu hanc consuetudinem, ut Sacerdos nondum ab Ordinario admissus absolvat etiam à venialibus; quin potius Faventius ubi supra, num. 76. arbitratur, quod si quis id attentaret, nihil faceret, & peccaret saltem venialiter, quippe committeret sacrilegium, in re tamen levi. Unde ipse constanter nostram tuetur sententiam. Et quasi nobiscum sentit etiam Navarrus in cap. placuit, de penitentia, dist. 6. num. 21. Nec simpliciter dissentire audeat Medina de quest. 40. C. de confess. non necessitate, sed voluntate facta. Fatetur etiam idem Suarez sub num. 1. oppositum reddi satis incertum post Tridentinum, saltem quoad Sacerdotes non expositos, quoniam esto ad iudicandum de venialibus non sit necessaria magna scientia, ad discernendum tamen venialia à mortalibus aliqua profectò necessaria est. Atque hinc inferri necessarium esse videtur, qui de venialibus iudicatus est sine potestate circa mortalia, sciat discernere inter lepram, & lepram, id est, inter venialia, & mortalia: ac proinde posset hac de causa in illo exigi approbatio.

3. Nec obstat ratio adducta de reservatione venialium; quamvis enim non possint simpliciter reservari, sicut nec quis potest ad eorum confessionem cogi; attamen, si quis unquam habens sola venialia, vellet se foro penitentiali subicere, potest

Resol. 35. & in m. Ref. 88. et annoratio. num. & si-guanter in tom. 1. tr. 4. Ref. 70. & hic infra in Resol. 31. §. 3. Sed circa-cursum in fi-de, supra in Resol. 4. brevitè ad medium §. 2. cum Saias hoc negan-tes

Sup. hoc supra latè in Ref. 35. §. Sed Bordonus, & in aliis §§. eius not.

Sup. hoc supra in Ref. 31. & in aliis eius primae annot. posita contra ritum.

PLANA
Omnia
B. III. IV
E. III

posset superior iurisdictionem circa venialia confessario tribuere cum reservatione alicuius venialis. Vnde Vasquez *num. 8.* ait, quod quamvis talis reservatio esset estimata prationalis, teneret tamen quis delegans potest pro sua voluntate facultatem limitare, & de facto Ecclesia potest aliquando Sacerdotem hac iurisdictione: Sacerdos enim excommunicatus, & nominatim denunciatus, nunquam valide absoluit, etiam de solis venialibus.

Sup. hoc in Ref. 4. cursum ad medium §. 2. & in Ref. 3. §. 1. & signat §. 2. & in alio §. eius annot. & infra in Refol. 41. §. Sed et breviter in fine. & in tom. 1. tr. 4. Ref. 10.

4. Infert etiam Suarez idem esse sentiendum de mortalibus iam semel confessis, ac de venialibus non dum in confessione expositis cum de omnibus sit eadem ratio, & sicut illa, ita & illa sunt materia non necessaria: & sic videtur sentire, quod etiam ex consuetudine Ecclesie, & tacito ipsius consensu possit quilibet Sacerdos de mortalibus iam confessis licet absolviere. Refert tamen ibidem Sotum sententiam, quod non cuilibet Sacerdoto id licet; cuius opinio mihi probatur, tum quia circa mortale semper est necessaria iurisdictione, atque illa ex se sunt materia necessaria, per accidens autem est, quod sit iam confessus Ita a Cruce. Sed non est recedendum a communi Doctorum sententia.

Sup. hoc in tomo casu in tom. 1. tr. 3. Ref. 14. §. 1. & 2. & in tom. 7. tr. 1. Refol. 69. §. Tertium. & in Refol. 87. §. 3. & 4. §. 2. & signat §. 3. & in tom. 4. tr. 4. Ref. 6. §. 1. ad medium. & verum deinde & ibi in tr. 3. Ref. 20. §. vlt.

5. Quintus casus, secundum aliquos, erit de superioribus Regularium, ad quos non possunt ab Episcopi approbatione autem confessiones secularium. Ratio dubitandi est, quia ille est Parochus suorum subditorum: ergo, sicut alij Parochi sic nec ipse indiget approbatione Episcopi. Vnde non desunt, qui id concedant. Henriquez *lib. 7. de Indulgentiis, cap. 2. num. 4.* in *glossa littera K.* refert Martium, Gallum, Medinam, & Bannez in ea fuisse sententia quam tenebat Ioannes Valerius & in tom. 4. tr. 4. Ref. 6. §. 1. ad medium. Sed, me citato, contrariam sententiam merito docet Eminentissimus Cardinalis Lugo de *Poenitentia, disput. 21. sect. 1. num. 10.* quia talis praelatura non est proprie beneficium parochiale, nec id erat iuxta mentem Concilij: quod clarè voluit in hoc subicere Episcopis Confessarios regulares quoad examen, & approbationem, non obstantibus eorum privilegiis. Et quidem quando eligitur Praelatus regularis, non multum attenditur semper ad eius doctrinam, ut idem approbatus censendus sit ad audiendas confessiones secularium.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 3. Ref. 29. §. pe mult. & in Ref. 31.

7. Sextus casus, secundum aliquos, erit de Sacerdotibus excipientibus confessionem alicuius, qui non confiteri proprio Parocho, ratione ignorantie; unde supponendum est ex Vasquez in 3. *part. quest. 3. art. 2. dub. 3.* & aliis contra Coninck de *Sacrament. disput. 8. dub. 8.* Sotum in 4. *dist. 18. quest. 4. artic. 2.* & alios, in casu ignorantie proprii Parochi permitti poenitentibus confiteri alieno Sacerdoto absque licentia proprii, & merito, quia in *dict. can. placuit*, absque dubio id permittitur pro confessione sacramentali ordinata ad absolutionem sacramentalem, quia in eo est sermo de confessione prodicta absolutione, & facienda Parocho, ut Parocho, tum quia in eo prohibetur poenitentem commissum uni Sacerdoto tanquam Parocho admitti ab altero ad confessionem, nisi in casu ignorantie proprii; tum etiam, quia in eo est sermo de confessione, media qua inuenitur gratia, & facienda ei qui habet potestatem ligandi atque solvendi, de qua est sermo in *primo canone dictae distinctionis*: confessio autem absolute dacta, & facienda Parocho, ut Parocho, & ei qui habet potestatem ligandi, & solvendi, est con-

fessio sacramentalis ad absolutionem sacramentalem ordinata.

8. Hoc supposito, difficultas est, an talis in isto casu possit eligere Sacerdotem non approbatum: & aliqui a decreto Concilij Tridentini excipiunt eum, qui ex vi canonis placuit, potest eligere Confessorem, putantes eum eligere posse etiam non approbatum ab Episcopis. Sed huic sententiae non acquiesco, sed existimo debere esse approbatum: quia Concilium Tridentinum loco citato, omnia privilegia revocat, dum dicit, debere esse approbatum, ibi, *privilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus* Et ita hanc sententiam tenet Ochagua de *Sacramentis, tract. 2. de confess. Sacram. quest. 36. num. 17.* imò notandum est cum Tanneo *tom. 4. disp. 6. quest. 9. dub. 3. num. 2.* non videri probabile nec conformem prædicto *can. placuit*, posse eligi in eo casu aliquem alias nullo modo iurisdictionem, & potestatem talem absolvendi habentem, verbi gratia, Parochum, aut cooperatorem alterius Parochi, potest quod quis habeat copiam alicuius Confessarii, qui etiam alia eam, saltem per privilegium possit abolvere. Quamvis enim de hoc nihil apud Auctores expressè notatum legerim; ea tamen ratio videtur plane convincere, quod eo casu non deest occasio Confessarii etiam proprii, qui rectè confiteri possit Ita Tanneus, cuius sententiam docet etiam Hurtado de *Sacrament. disp. 10. de Poenitent. disp. 11.* Vide etiam Cardinalem Lugo de *Poenitent. disp. 19. sect. 1. num. 11.* hanc materiam pertractantem.

Quamvis non plene sup. hoc, lege tamè doctrinam Ref. 2. not præterit à medio §. 1. à verif. Addunt.

9. Septimus casus, secundum aliquos, apud Sotum in 4. *dist. 18. quest. 4. art. 3.* erit de Sacerdotibus excipientibus confessiones virtute Bullæ: quia qui possit eligere Confessarium, debet qui eligatur, supponi Confessarium per Episcopi approbationem, vel Parochiale beneficium. Probatur secundo, quia semper in diploma adicitur, *Consejores idoneos, idonei autem non dicuntur, nisi qui vel approbatione Episcopi, vel Parochiali beneficio sunt approbati*, cum iudicium idoneitatis non sit relinquendum personis privatis, sed publicis. Tertio, quia non censetur Pontifex per huiusmodi indulgentiumque Confessarium approbare, alioquin antequam daret eligendi potestatemque idiotas, & indignos; sed solum eos, qui publicum testimonium habent de idoneitate.

Quoad hoc in tom. 4. v. 3. lege doctrinam Ref. 17. & 18.

10. Sed negatiuam sententiam, me citato optime probat Amicus *tom. 8. disput. 15. sect. 3. num. 10.* Nam quotiescumque Pontifices non expriment, semper præsumendum est facultatem concedere in suis Bullis iuxta formam Concilij Ratio, quia cum contrarium sit dispensatio à lege communi, non præsumitur Pontifex illam concedere, nisi id specialiter declarat, cum semper Principes stare præsumantur pro legibus, quæ suam vim iam obtinuerunt. Et ideo Vasquez *tom. 4. quest. 93. art. 1. dub. 5. num. 3.* sic ait etiam de Pontifice existimo maxime probabile, non concedere ita generaliter licentiam (nisi ipse aliud explicet) in privilegiis generalibus, ut eligi possit arbitrio poenitentis cuiuscumque Sacerdos quicumque non prohibitus alias, sed neque approbatus, nec expositus. Hoc dixerim, non quia non possit Pontifex id concedere, ut factum teneret, sed quia revera periculosum esset committere idiotis, & rudibus eligere quem vellent. Ita ipsorum approbatione probatum, nec præsumendum est eum esse periculosum concedere Pontificem, imò si concederet de facto, quamvis absolutio teneret; sed non esset

Sup. hoc in Ref. præterite §. Sed difficultas, ad medium, à verif. Inferitur secundo. & in tom. 1. tr. 3. Ref. 22. §. 1. ad medium. & in Ref. 23. §. Deaique.

esset licitum id concedere, unde non est credendum ita concessisse unquam in generali concessione. Ita ille.

11. *Olivanus casus*, secundum aliquos, est de Sacerdotibus licentiatibus in sacra Theologia, vel iure Canonico in aliqua universitate. Et ita hanc sententiam amplectati sunt gravissimi Doctores Ordinis Praedicatorum Gallus, Medina Bannez, quos secuti sunt Sebastianus Perez Episcopus Oxoniensis, & Doctor Petrus Martinez Compluten. vt refert Henríquez lib. 6. cap. 6. liter. E, quorum sententia probari potest: quia Academia, seu universitas per facultates & indulta sibi concessa à Sede Apostolica, examinat, & approbat praedictos licentiatos, nomine ipsius Papae: ergo tales iam obtinent à iure approbationem, mediante publico testimonio suae idoneitatis ab Academia nomine Papae sibi expedito, atque exhibitio.

12. Sed prolius haec opinio reiicienda est. Probatur primo, ex verbis Concilij Tridentini supra citatis sess. 23. cap. 15. nam, cum ibi dicitur, *vel alias idoneis indicetur non significatur*, quod quando publicè constat de sufficientia & idoneitate alicuius non sit necessaria Episcopi approbatio, vt falsè praedicti Doctores interpretantur, sed solum significatur quod ad hoc, vt Episcopus approbet aliquem in Confessarium, non est necessarium praemittere examen, si alius sciat illum esse idoneum, & sufficientem; quam intelligentiam esse apertam mentem Concilij, & verba ipsa, nisi extorqueantur, satis indicant. & vltus ipse confirmat, cum nullus, quantumcumque gradus, audeat sine Episcopi approbatione, confessiones audire.

13. *Secundo* probatur, quia Pius V. concessit aliquando pro magno privilegio fratribus Mendicantibus, vt lectores illorum graduati in Theologia possent sine alia approbatione Episcopi audire confessiones facultatum, vt refertur in Motu proprio Gregorij XIII qui inseritur communiter edito sanctae Inquisitionis, quam concessio nem postea ipse Pius V. renouavit anno 1571. teste Henríquez ubi supra, declarans, Regulares etiam graduatos, & Lectores praesentandos esse Episcopo, licet vetet eos examinare: ergo manifestum est gradum Doctoratus non esse sufficientem sine Episcopi approbatione ad audiendas confessiones: & ita docent communiter omnes Doctores.

14. Et tandem *novus casus* certus erit de Sacerdotibus excipientibus Confessiones Regularium cum suorum superiorum licentia. Dicendum est, vt legitur in decreto supra citato Concilij Tridentini, non comprehendi penitentes Regulares, qui confiteri possunt cuilibet Sacerdoti ab Episcopo non approbato. Unde non tenentur, superiores Religionum, cum Confessarios assignant suis subditis, eos Episcopo praesentare, vt approbentur ad confessiones suarum subditorum audiendas: quin etiam concedere eis possunt facultatem, vt extra Religionem cuilibet Sacerdoti ab Episcopo non approbato confiteri possint. Fundamentum est, quia Concilium hanc legem expressè limitat respectu secularium: & ex alio capite, Religiosi iure antiquo valde confiteri poterant cuilibet Sacerdoti. Hinc inferitur, quando superior concedit subdito licentiam eligendi sibi Confessorem in itinere posse sibi eligere quemcumque, etiam ab Ordinario non approbatum: nam hoc ipso quod licentia non limitatur, censetur concessa in sua amplitudine.

15. Sed difficultas est, an idem dicendum sit de Equibus D. Iacobi, Alcantarae, Calatravae, &c.

& ad illam sic, me citato, respondet Amicus tom. 8. dist. 15. sess. 3. num. 97. Dubium est an hoc privilegio fruantur Equites S. Iacobi, S. Iacobi, Calatravae, Alcantarae, Montefra. Affirmant communiter Doctores apud Dianam tract. 2. de dubijs Regum. resolut. 10. Fundamentum est, quia isti sunt veri Religiosi per tria vota paupertatis, castitatis, & Obedientiae in manibus suorum Praelatorum emissa: ergo non secus ac reliqui Religiosi, confiteri possunt cuius Sacerdoti sine seculari, sine regulari, etiam ab Episcopo non approbato. Quae licet de iure vera sint; de facto tamen, vt notat ibidem Diana, consuetudo est in contrarium. Ita Amicus.

Quae hic est in tom. 7. tra. 1. Ref. 99. §. 2. & in tom. 1. tit. 3. Ref. 22. §. Quae ad. & hic inf. in Refol. 79. §. Ex quibus, ante medium, & in aliis eorum annotationum.

RESOL. XL.

An Summus Pontifex poterit, & de facto concesserit Regularibus, vt possint excipere alienas confessiones sine licentia Parochi in ordine ad praecipuum annum confessionis.

Et quid de Sacramento Eucharistiae, an possint Religiosi laici distribuere eam absque licentia proprii Parochi, & Pastoris totò anno, excepto Festo Paschae, Re. iurisdictionis; Ex part. 8. tract. 1. Refol. 88.

S. R. Espondeo minime dubitandum Summum Pontificem posse dare facultatem confitendi aliis praeter Parochum, cum ipse sit omnium Parochus, & Pastor. Et id definitum fuit à Ioanne XXI I. in *Extrauagant. Vas electionis, de haereticis*, contra quendam Ioannem de Poliaco, quamuis neque ipse negauerit, vt bene aduertit Valquez in 3. part. tom. 4. quast. 93. art. 1. dub. 6. num. 2. talem potestatem extare Summo Pontifice, sed solum dixerit, decreto Concilij Lateranensis in cap. *omnis vtriusque sexus*, non posse tolli à Papa obligationem confitendi Parocho, nisi illi decreto derogetur. Unde non solum dicitur Poliacus, sed etiam Henricus de Gandavo quodlib. 10. quast. 2. existimantur fideles confitentes dictis Religiosis non satisfacere praecipuo annuae confessionis, ac proinde festum in anno teneri omnia sua peccata mortalia, quantumvis dictis Religiosis iam confessa, suo Parocho confiteri, aut alteri de eius licentia. *Primo*, quia in cap. *omnis vtriusque sexus*, dicitur, fideles teneri omnia sua peccata mortalia proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentia saltem semel in anno confiteri; per privilegia autem Religiosis concessa non est derogatum dicto capitulo, quia in eo continetur & determinatur praecipuum divinum confitendi proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentia saltem semel in anno: praecipuum autem diuino nequit derogari per privilegia Ecclesiastica? Ergo qui proprio Sacerdoti, alteri de eius licentia non confiteretur semel in anno, quantumvis dictis Religiosis confiteatur, non satisfacit dicto praecipuo. *Secundo*, quia in *Extrauagant. Ad verbera fructus*, edita à Martino V. quae refertur ab Henríquez in qua Martinus concedit Mendicantibus idem privilegium audiendi confessiones, addit: *Volumus autem quod hi qui fratribus confitebuntur, teneantur proprio Sacerdoti saltem semel in anno, prout generale Concilium constituit, confiteri*, Et in *Extrauagant. Vices, de Treuga & Pace*, edita à Sixto IV. dicitur, quod fratres Mendicantes desistant praedicare quod Parochiani non sunt obligati tempore Paschae proprio Sacerdoti confiteri, quia ad id de iure tenentur.

Sup. hoc in tom. 1. tit. 3. lege doctrinam. Ref. 155. signanter à §. Sed quidquid, & vide etiam in tom. 5. tr. 10. Ref. 82. Signanter ante medium, & vlt. vnde explodenda, & in tom. 2. tr. 2. Ref. 23. lege Decretum S. Congregationis positum in §. Die 9. Iulij.

Sup. hoc lege doctrinam §. & ver Guon praerit.

ELIANAE
OMNIA
TO. III. IV. V
E. III

